



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

22. Qualiter Sacerdos Domini ad partes Sueonum iter suum præparârit, & per Visionem Adalhardus Abbas ei prouentura nunciârit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

tate sani fiebant, & ad fidem Domini conuer-  
sa est multitudo populi.

## CAPVT XXII.

*Qualiter Sacerdos Domini ad partes Sueonum iter  
suum prepararit & per Visionem Adalhardus  
Abbas ei prouentura nunciã-  
rit.*

**I**Nter hæc verò Pastor noster Ansgarius et-  
iam pro Gente Sueonum, eò quòd Sacer-  
dotis præsentia tunc desolati essent, nimio cõ-  
dolens affectu, à præfato poscere cœpit Rege  
Horico sibi in omnibus familiarissimo, vt suo  
auxilio fines illius Regni petere posset. Qui  
cum maximã beniuolentiã hanc petitionem  
eius suscipiens, ita se per omnia facturum pro-  
misit. Igitur deuotissimus Pater noster ad  
hoc iter præparare se cœpit, & vt quantocyus  
hoc expleret feruentiore incitabatur spiritu.  
Siquidem & hoc cœlitus sibi iniunctum cre-  
debat, visionẽ quadam inbutus, quam antea  
præuiderat. Visum namque est ei, quòd in i-  
pso itinere valde esset sollicitus, & quòd ad  
quendam deueniret locum, in quo erat itru-  
tura ædificiorum magna, & mansiones di-  
uersæ, vbi quidam ei obuius factus, locutus  
est ad eum, dicens: De itinere quo sollicitaris,  
& de his quæ sunt in corde tuo, ne supra mo-  
dum contristeris, quia hic est quidam Pro-  
pheta, qui te de his omnibus certum reddet.  
Et ne aliqua menti suæ super eo insideat du-  
bitatio,

*Visio S. Anse-  
garij sextæ.*

*Adalhar-  
tus Abbas,  
Propheta.*

bitatio, dicam tibi quis sit ille Propheta, Ab-  
bas quidam Clarissimus Adalhardus; ipse  
nempe est Propheta ad te à Domino missus,  
qui tibi ea quæ prouentura sunt annuntiabit.  
Quo ille audito, exhilaratus animo, visus est  
illi respondisse: Domine, vbi inueniam eum?  
Et ille: Tu, inquit, labore inuenies eum, nec  
est licitum cuiquam tibi insinuare. Tunc vi-  
sum est ei, quòd iret per circuitum mansionis  
ipsum quærendo, & in mente sua tractaret.  
Si, inquit, ille non interrogatus à me annun-  
ciauerit mihi quæ sunt in animo tum verum  
illum Prophetam comprobabo. Ad quandam  
ergo perueniens mansionem speciosissimam,  
vidit eum ibi in solio suo sedentem, & statim  
recognouit. Ille confestim pronuncians, inten-  
tus in eum dicere cœpit: Audite Insulæ, & at-  
tendite populi de longè; Dominus ab vtero  
vocauit me, de ventre matris meæ recorda-  
tus est nominis mei. Et posuit os tuum quasi  
gladium acutum, in vmbra manus suæ pro-  
textit te, & posuit te sicut lagittam electam: in  
pharetra sua abscondit te, & dixit tibi; Seruus  
meus es tu, quia in te gloriabor. Quo dicto  
extento brachio manum dexteram ad eum  
cœpit erigere. Ille autem hoc viso, ad genua  
eius accessit, sperans eum se velle benedicere.  
At ille subiunxit: Dedit te in lumen Gentium,  
vt sis illis in salutem, vsque ad extremum ter-  
ræ. Reges videbunt & consurgent Principes,  
& adorabunt Deum tuum & Sanctum Israël;  
quia

*Prophetia  
S. Adalhar-  
di ad S. Anso-  
garium.*

quia glorificabit te. Hanc ergo visionem Seruus Dei cum antè profectionem illam longè vidisset, certum tenebat animo, Dei se imperio ad partes illas incitari. Et maximè in verbo quod dictum est illi: Audite Insulæ; quia omnis ferè patria illa in Insulis est constituta. Et quod subiunctum est: Eris illis in salutem vsque ad extremum terræ; quia finis mundi in Aquilonis partibus in Sueonum coniacet regionibus.

## CAPVT XXIII.

*Quòd in eadem Legatione Missum & Signum Horici Regis habuerit, & populum inuenerit errore confusum.*

**P**rofectionem itaque hanc suscepturus, iam dicti Regis Horici Missum pariter & Signum secum habuit, qui Regi Sueonum nomine Oleph, de parte sua mandatum tale intimare iussit, Seruum Dei sibi per omnia cognitum esse, ac se in vita sua nunquam tam bonum hominè vidisse, nec in quolibet mortalium aliquando tantam fidem inuenisse: ideoque cognita eius Sanctissima bonitate, omnia quæ ille in Regno suo causâ Christianæ religionis disponere vellet se ei concessisse; ipsumque petere, vt similiter in Regno suo ei permitteret culturam Christianitatis, quam optabat statuere. Susceptum itaque peragens iter, 20. fermè diebus nauigio transactis, venit ad Bircam, vbi inuenit Regem & multitudinem populi nimio errore confusam. Instigante